

Dissertatio medica inauguralis, quaedam de rheumatismo, chronico et acuto complectens ... / eruditorum examini subjicit Robertus Luke Page.

Contributors

Page, Robert Luke.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Jacobus Neill, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c2grwnek>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



6
DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAEDAM
RHEUMATISMUS
CHRONICUS ET
COLLECTIVUS

QUAE
ASSISTENTE SIVE
ET ATTORNIATE REVERENDI
D. GEORGII BAIRD
ACADEMIAE EDINBURGENSIS

PRIMUM
AMPLISSIMO SENATUS ACADEMICI
MAGISTRATUS FACULTATIS

Pro Gradu

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE HONORIS
GRADUI ET LEGISATIONIS CAUSAE

INSTITUTIONUM ACADEMICARUM
ROBERTUS LUTHER
PHILOSOPHUS
CHEMISTUS

Ad Calend. Augusti, huiusmodi

EDINBURGI
Excudit Jacobus
WODDHEAD

(6.)
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM DE
RHEUMATISMO,
CHRONICO ET ACUTO

COMPLECTENS ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris.

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS LUKE PAGE,

Hibernus,
CHIRURGUS.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

Excudebat Jacobus Neill.

MDCCXCIX.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUCTORITATE

ORDINIS

RHEUMATISMO

CHRONICO ET ACUTO

COMPARATIONE

DUORUM

ASSIDENTIUM

ET AUCTORITATE

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE KEIWIUNGENSIS PRÆFECTI

IN AUCTORITATE

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI COMITIS ET

REGIUM FACULTATIS MEDICÆ KEIWIUNGENSIS

Pro Gradu Doctoris

SUBMISIT IN MEDICINA HONORIS AC PRÆFECTI

DUX ET LAUREUS COMITIS

ROBERTUS LURE WAGN

Dignus

CHIRURGUS

Ad Censuram Augusti, hinc inde

EDINBURGI

L. Scuderi Jacobus

MDCCCXXI

VIRO REVERENDO
ELIÆ THACKERAY,

DE
NEWTOWNLIMAVADY,
IN COMITATU DERRIENSI,
RECTORI ;

ET
DE DUNDALK,
IN COMITATU LOUTHIANO,
VICARIO ;

BENIGNITATE, PIETATE, HUMANITATE,
OMNIBUSQUE FELICIS INGENII DOTIBUS INSIGNITO ;

HANC
DISSERTATIONEM MEDICAM INAUGURALEM,
UT PARVULUM
ANIMI HAUDQUAQUAM INGRATI,
MONUMENTUM,

D. D. C.QUE.
ROBERTUS LUKE PAGE.

1790 REVERENDO

ELIAS THACKERAY,

DE

NEWTON-MANARD.

IN COMITATU DERRIBENSI,

RECTORI;

ET

DE DUNDEE,

IN COMITATU LOTHIANI,

VICARIO;

BENIGNITATE, PIETATE, HUMANITATE,

OMNIBUSQUE REBUS INGENIUM DOTIBUS INSIGNITO;

HANC

DISSERTATIONEM MEDICAM IN AUCURALEM,

UT PARVULUM

ANIMI HAUD QUAEVAM INGRATUM,

MUNIFICENTEM

M. D. C. C. C.

ROBERTUS LUKE PAGE.

“ Ah ! little think the gay licentious proud,
“ Whom pleasure, power, and affluence surround,
“ *They*, who their thoughtless hours in giddy mirth,
“ And wanton, often cruel, riot waste ;
“ Ah ! little think *they*, while they dance along,
“ How many feel *this* very moment, *death*,
“ And all the *sad* variety of *pain*.”

* * * * *

“ But now, of turbid elements the sport,
“ From *clear* to *cloudy* tost, from *hot* to *cold*,
“ And *dry* to *moist*, with inward eating change,
“ Our drooping days are dwindled down to *nought*,
“ Their period *finished*, e'er 'tis *well* begun.
“ *These*, and a thousand mix'd emotions *more*,
“ From *ever* changing views of good and ill,
“ Form'd infinitely *various* vex the mind
“ With *endless* storm.”

THOMSON'S *Seasons*.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

RHEUMATISMO,

CHRONICO ET ACUTO.

COMPLECTENS.



PRÆFANDA.

QUOSDAM morbos, diversis in regionibus insæ-
vire sat superque constat. In regionibus, ubi reg-
nant frigidaë tempestates, morbi accedunt, qui in
calidis, vix unquam reperiuntur.

In illis ob subitas anni vicissitudines, febres
continuaë atque inflammationes urgent, dum in
his, morbi putridi et biliosi.

Inter morbos, quibus incolæ frigidarum region-
um frequentius obnoxii sunt, nullus, quam Rheu-
matismus magis vexat, neque tristioribus ærum-

nis vitam onerat. De hocce malo, igitur disse-
rere mihi in animo est, quod paucis in verbis, ab-
solvam nihil novi studiosus. In libros veterum
evolvendo, qui de re medica, scripserunt, nihil ac-
curate definitum de nostro morbo usquam in-
venire possumus, et quamvis inter illos nunquam
accedisse non potuerit, tamen cum arthritide, con-
fundere plane videntur. Itaque diu latebat ad tem-
pora usque, quibus floruit SYDENHAMUS, qui in lu-
cem protulit fere omnia, quæ de ejus natura, et
causis adhuc habemus.

Porro BOERHAAVIO, cum medicinam exercuisset,
et luculenter docuisset, prorsus ignotum esse tra-
ditur, neque prius cognitum esse, quam a malo
diu laborâsset, multis doloribus cruciatus.

DE DEFINITIONE.

Nullus CULLENO præstat in morbis definiendis.
Rheumatismum in duo genera divisit: quorum
alterum ita definitur: " Morbus ab externa, et
" plerumque evidente causa; pyrexia; dolor cir-
" ca articulos, musculorum tractum sequens, ge-
" nua et reliquos majores, potiusquam pedum, vel

“ manuum, articulos infestans; calore externo
“ auctis.”

Alterum genus, quod arthrodynia nominatur, sequentia verba habet: “ Post rheumatismum nimium violentum, vel subluxationem; dolores artuum vel musculorum, sub motu præsertim aucti, plus minusve fugaces, calore lecti vel alio externo, levati; artus debiles, rigidi, facile et sæpe sponte frigescentes; pyrexia nulla; tumor plerumque nullus.” Ab hoc intelligitur, quod aliis Scriptoribus Medicis Rheumatismus Chronicus vocatur; ab illo, rheumatismus acutus. De utroque singulatim mihi consilium est agere, quamvis alius finis ab alio initio, vix dignosci queat.

HISTORIA RHEUMATISMI.

RHEUMATISMUS senes, quam juvenes rarius ad-
oritur; ab anno pubertatis, ad quadragesimum usque magis sævit; et, qui summis corporis viribus gaudent, et temperamento sanguineo imbuti, eos præcipue sub Boreali cælo invadit. Neque sexui ulli parcat, sed fœminas præ maribus infes-

tat. Hic morbus solitis incipit inflammationis signis, et plerumque paucos dies ante febris aggressum, totum corpus lassitudine et languore corripitur. Tunc caput dolet cum anxietate, et minimo frigore æger horret; neque paulo post horrores et rigores admodum urgent, quos calor maximus excipit, quo pyrexiam adesse bene notum est. Nonnunquam vero subito advenit febris, sine ullis signis prægredientibus, et brevi tempore perstat ante ipsius morbi impetum. Febre ardente facies rubescit, totumque corpus calescit, cutis arescit, et æger potum petens sine somno noctu jacet, summaque disquietudine. Cor multo plus solito micat; arteriæque ad tempora et carpos centies et terdecies haud raro saliunt in sexagesima horæ parte. Sanguis e vena missus, ut in aliis inflammationibus tunica coriaceam ostendit, et æger cum sensu anfractus, pectoris spiritum graviter trahit.

Appetitus minus perturbatur in hoc quam in aliis hujusmodi morbis. Cibum, enim desiderat ægrotus, ac avide edit, ut in bona valetudine solet. Alvus plerumque præter naturam astringitur, interdum vero fluit haud sine bono fructu. Ab initio, urina parca, ac rubra; neque aliquid

sedimenti deponet; finem versus copiosius fluit, et nonnihil pulveris laterum similis, imum petit. Per totum morbi decursum, vix unquam caput cum delirio afficitur, et quamvis corpus ubique torqueatur, mens tamen sana est. Pyrexia perstante paucos dies, plerumque biduum aut triduum, maximi dolores ægrum cruciant, quasdamque corporis partes præ aliis imprimis adoriuntur. Ita genua ac humerus, nec raro coxa aut dorsum laborat. Hi vero dolores, acuti et lancinantes, unam sedem haud diu tenent, sed subito migrant, musculorum cursum sequentes itaque articulos alios post alios tentant, ut unum vix relinquunt intactum. Sed observatione dignum est, ut minores juncturae raro afficiantur. Raro quidem, si unquam manus aut pedes patiuntur. Partes ita affectae inflammationem subeunt, ideoque tument, sed raro ex hac tolluntur molestia. Aliquando vero partibus dolentibus auxilium ferunt profusi sudores, qui, ubi parci et haud universi parum boni habent. Porro, vespere, appropinquante, pyrexiam intendi diu observatum est, et dolores calore lecti, motive musculorum plurimum augeri. Neque pars, quæ semel dolebat, doloribus migrantibus omnino integra ma-

net, sed magis, ut credo, ad secundum impetum obnoxia fit. Hinc plerumque dolorem videmus in parte quæ prius bis terve affecta sit, fere semper sedem tenere.

Nonnunquam vero pyrexia non vi, quam descripsi, sed mitius, adoritur. Ideoque leviora sunt signa, neque dolor tam sæpe sedem mutat, sed fixus in artu manet, et idoneis remediis facile cedit. Sed, ubi, maxima vi agit, dolores intenduntur, magisque ingravescunt, et subito alium artum relinquentes, ad alium confugerint, atque adoriuntur, ut multis persuasum est, magis vitales partes. Hinc aliqui testantur, ut ab hoc morbo, carditis, phrenitis, necnon pneumonia pendeant. Rarissime autem in has partes inflammandas, sed potius, medico experto, in resolutionem tendit, et tantum raris in exemplis in suppurationem desinit. Denique si vero ardente febre æger exhaustus sit, et debilitas cum macie inducta sit, et fixi in artubus, aptis remediis neglectis, dolores maneant; tunc procul dubio infertur arthrodynia, de qua in ordine dicendum erit.

DE ARTHRODYNIAE SIGNIS.

TANTUM paucis verbis opus est, in signa enumerando arthrodyniæ, quæ nulla cum pyrexia, sed viribus admodum fractis fere semper accedit. Dolores, qui maxime articulos infestant non nihil mitiores fiunt, sed lenissimo frigore haud parum augentur. Neque in partibus affectis semper manent fixi, sed aliquando in aliam ex alia parte transeunt sed semper sine febre. Partes ita affectæ non modo torpescunt, et rigescunt, sed quoque tument, et frigent: et calor, qui rheumatismo acuto nocet, huic haud parvam opem fert. Hic morbi status persæpe plurimos menses perstat, nec recedit nisi artus et corpus multum infirmet. Nonnunquam vero arthrodynia finem non petit, nisi pejora inducat. Ægri enim, qui dolores, duros, longos, subierunt, genere nervoso exhausto, in paralysin incidunt; nec raro, anchylosi laborant prorsus immedicabili. In illis quoque, scrofula infectis, non semel inductum vidi hydrarthum, qui, nisi remediis aptis sublatus sit, vel mortem, vel claudicationem perpetuam inferet.

DE DIAGNOSI.

MORBOS rite discernere, qui alii alios simulant, in re medica semper magni momenti est. Quis enim potuit, hoc neglecto, ulli morbo auxilium adferre aut rite præscribere? Quamvis rheumatismus signis satis evidentibus se ostendat, adeo ut falli peritus vix queat, tamen sunt morbi, quibuscum confundi potest, quosque refert haud in minimo gradu. Inter hos sunt Pleuritis, Podagra, Scorbutus, et Nephritis. De singulis in ordine :

I. Rheumatismus interdum musculos inter costas sitos adoritur, et Pleurodyne vocatur, cui Pleuritis, multis in rebus, consimilis est; si vero animum attendamus, indicia sunt, in quibus unus ab altero morbo maxime distat. In hoc quidem urgent, in aliqua parte thoracis interna, fixi pungentes dolores, qui tussi inspiratione, multo augmentur, sed non pressu; dum illo, dolores externis partibus tumidis, ac rubris, locum sæpe mutant, et tactu admodum angunt. His accuratius

perpensis, diagnosis adeo facilis evadit, ut vix erret inexpertus.

II. Morbus, de quo agimus, podagræ multa habet communia, sed ab hac quoque differt. Ille ex causa evidente maxime illos aggreditur, qui ætate florenti gaudent; hæc illos, sine causa evidente, qui intemperantia aut senectute confecti sunt. In alio post pyrexiam dolores plerumque gradatim accedunt, majores articulos cruciantes, veluti, genua, coxas, cubitos, et humeros; in alia ante febrem ex improvise, minimi pedum manuumve artus corripuntur. Hi morbi æqualiter metastasin subeunt, sed podagra implicitus ventriculo fere semper laborat, dum alter hujus vitii omnino immunis bene concoquit. Denique sunt in podagra chronica calculi in artubus minoribus, qui nunquam rheumatismo acuto vel chronico apparebant. His rebus collatis, nihil dubii de morbis adest, uter dominatur.

III. Nihil adest in rheumatismo et morbo venere quo medicus in errorem incidat, qui utriusque historiam attente perpendat. Diversa quidem signa, quæ antecedunt aut comitantur. Hic enim

doloribus fixis mediam longorum ossium partem tantum occupat, quos prægrediuntur ulcera in faucibus, aut eruptiones variæ cum escharis apparent. His conspectis, plane patifiet natura morbi. Porro quæcunque rheumatismo auxilium afferunt, syphilide nihil prosunt; et hanc, ossium intumescencia in medio bene designat, quæ illi in artuum finibus tantum accidit.

IV. In diagnosin faciendo, qua rheumatismum a scorbuto secernere oportet, nihil mihi in mentem melius venit, quam signa enumerare, quæ hunc ipsum definiunt. Sequentia sunt CULLENI verba: “ In regione frigida post victum putrescentem, salitum, ex animalibus confectum, deficiente simul materia vegetabili recente; asthenia; stomacace; in cute maculæ, diversi colores, plerumque livescentes, præsertim ad pilorum radices;” quæ morbum, quem prosequimur, nunquam comitantur.

V. Ubi noster morbus doloribus lumbos afficit, cui a medicis lumbago data est, cum nephritide confundi potest. Sed dolor renis, iter ureteris sequens, vomitus, crebra mictio, retractio tes;

ticuli, et stupor cruris lateris affecti, sat superque distinguunt.

DE CAUSIS MORBI.

CAUSÆ, quibus morbus inducitur, in duplex genus dividuntur: Sub uno comprehenduntur res, quæ corpori inhærentes, id morbo proclive reddunt; et sub altero, omnia externa, corpore ita prædisposito, morbum excitant. Has autem distinctiones semper conservare perdifficile est; sed summa ope niti decet.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

QUODCUNQUE corporis robori addat, huic morbo viam sternit. Quamobrem robusti, qui laute vivunt, aut ardentis spiritus intemperantiæ sese dederunt, facilius implicare observantur, quam debiles. Necnon temperamento sanguineo præditi, aliquid in corpore habent; quod, genita diathesi phlogistica, fundamentum jacet morbi. Viri præ fœminis, certe ex diversa vivendi ratione,

citius corripuntur; sed aliis persuasum est feminas præ viris in morbum potius incidere. Alii mentionem faciunt, ut solitæ evacuationes suppressæ, veluti sanguinis detractio quibusdam temporibus certis, sed postea neglectæ, menses, hæmorrhoides, &c. haud fluentes solitis temporibus, haud parum prædisponant. Quos semel rheumatismus corripuit atque diu anxit, ii postea ad ejus impetum magis proclives sunt, et varias cæli humidi mutationes bene cognoscunt aquilonisque adventum. Præterea qui syphilide infecti sunt, et cujus curatione subiere hydrargyri cursum, ad articulorum dolores valde obnoxii evasere, irritabilitate corporis inducta.

CAUSÆ EXCITANTES.

CAUSÆ quibus morbus excitatur, diversæ sunt. Inter omnes vero, frigus corpori applicatum, magna vi pollet, præcipue si corpori calefacto subito adhibeatur, cum humiditate conjunctum. Hinc adoritur morbus in vere et autumnis, et in regionibus calidis vix unquam repertus. In illos, qui artem sedentariam intra domi parietes quotidie

exercent, neque sæpe aëra purum spirant, frigus post calorem morbi excitandi vim observatur tenere. Ad hoc spectant CELSI monita, “ Neque
“ sine veste, neque sine calceamentis prodire
“ oportet, præcipueque diebus frigidioribus, ne-
“ que sub divo nocte dormire, aut certe bene
“ operiri.”

PROGNOSIS.

Quo rectius alicujus morbi præsagium faciamus, ejusdem naturam, partes affectas, viresque signorum, corporis robur, atque ægri ætatem, oportet bene considerare. Nihil enim vere præsagiendo, peritiam medici plus ostendit. His rite perpensis, rheumatismus mihi esse videtur morbus, plus doloris quam periculi in se continens ; nisi cum aliis conjungitur, aut ipse per metastasin vel cerebrum vel cor adoritur. Experientia tamen docet, hoc rarius accedat ; neque in lethalem finem desinat. Si æger juventute gaudet, neque prioribus morbis corpus fractus ; sed constitutione sana ante morbi impetum ; si febris haud diutius urget, sed remediis cito ce-

dit, et quamvis graves sunt dolores, tamén háud fixi manent; et in melius vertunt, nil introrsum tendentes; nihil constat cur faustum mali eventum dubitemus. Ad hanc finem, conferunt *sudor copiosus*, febrem minuens, *somnus profundus*, *corpus reffecturus*, *cibi appetitus*, aliæ quæ secretionés bene restitutæ, quæ morbum demonstrant abiturum. Porro memoria dignum est, ut in quibusdam exemplis, morbus finem petat, subito alvi fluxu cum epistaxi; necnon ulcusculis partium, quæ maxime dolebant. Sin autem rheumatismus hominem adoriatur, qui sæpe prius laboraverit, nec remediis administratis omnino recedat, sed doloribus fixis sedem teneat; si vires collabantur, nihil adjuvante, multum boni vix expectandum est, et in arthrodyniam, aut paralysisin, aut anchylosin insanabilem facile desinit. Aliqui sibi persuasum habent, mortem inferri, pthisin gignendo; vix ut puto, nisi hæc alte pectori lateat.

VIA MEDENDI.

QUODCUNQUE ab antiquis scriptum est, de rheumatismo curando nihil certi habeat, nil mirum

est : Quippe qui ne hunc quidem ab aliis similibus discernere queant. Græci ac Romani medici pariter viam ignorabant curandi ; et multum abfuit, ubi Europæ tam multa secula incubuit ignorantia nox atra ; et quasi mentem humanam reddidit imbecillam, ars medica ullum faciat progressum.

Huic caligini SYDENHAMUS morbum eripuit, ejusque curationi missionem sanguinis proposuit.

Hodierni diversa in consilia inierunt, prout quisque morbi sedem inesse putavit, medicamentaque varia quoque laudarunt, quibus jactant malum abiisse. De his quidem erit dicendum.

Quando quidem vero morbus species duas induit, quarum in una, pyrexia cum diatesi phlogistica adest, alteraque sine pyrexia debilitatem habet ; plane diversa sit ratio medendi oportet, ideoque primum de una separatim, dein de altera mihi animus est agere.

CURATIO RHEUMATISMI ACUTI.

QUÆ maxime urgent sub hoc morbi statu, signa sunt, pyrexia, et inflammatio ; quæ, quamprimum

potuit, tolli debent. Scire quoque juvat, quod uni prodest, alteri etiam opem ferat. Ad hanc finem, multa auxilia conducunt, quæ inter nullum, quam sanguinis missio præstat. Si ab hac ope, subsidium petimus, venam ab accessionis initio, secare oportet; et cum orificio satis amplo, ut pleno rivo copiose fluat sanguis. Si æger, temperamento sanguineo, et juventute gaudet, tactui pulsum firmum dant arteriæ. Si calor maxime sævit, deplere sanguinem copiose mittendo indicatur; neque iterare in dubio sumus, si corporis constitutio, ægri ætas, morbique indicia sinant. Si corpus autem prioribus malis infirmum sit factum, neque multo plus solito arteriarum pulsus fiant, sanguinis missionem repetere nequaquam oportebit. Hæc enim depletio, ab arteriarum pulsu viribusque corporis potius pendet, quam ab aliis rebus. Deplere enim, vena incisa, quamdiu sanguis tunicam coriaceam ostendat, magnopere cavendum est; ne morbus, viribus convulsis in chronicum transeat, et tarde redeat æger in sanitatem. Veruntamen ubi talis evacuationis usum vix adhibere audemus, multum fructus ex hircudinibus, partibus applicatis habemus, quæ sive tument, sive dolent.

Cucurbitulæ cruentæ, si rite admoveantur, modo eodem ac hirudines prosunt. Sed soli missioni sanguinis haud semper confidimus, et auxilium quæsitamus multis ex aliis. Inter hæc recensentur purgantia, quæ non modo febrem minuunt, sed diathesin quoque phlogisticam tollere juvant corpus refrigerando. Ad hanc finem sales medii conferunt, qui alvum satis solvunt. Hanc enim modice solutam semper debemus tenere; sed plus æquo, pro certo nocet. Alii enemata monent, quasi ægrum minus perturbantia; quæ, nisi admodum tarda sit alvus, multum proficiunt. Si evacuationes autem nihil prosint ad cordis actionem minuendam, tunc digitalis purpureæ auxilium petamus, oportet; cujus tincturæ guttæ quindecim aut viginti ter quaterve indies adhibitæ, opem attulerunt, ubi nihil aliud. Decedentibus febris indiciis, sudorem elicere monent omnes fere medici, qui ut universum per corpus libere erumpat summa ope nituntur. Hoc nisi ita fiat, plus mali inducit, quam boni. Inter medicamenta, quibus prorumpit sudor, recensentur tartras antimonii parvis in dosibus adhibita, et pulvis ipecacuanhæ compositus, quo nullum melius respondet; quippe qui, ut experientia docet,

diathesi phlogistica amota, nequaquam corpus calefacit; sed liquoribus tepidis ac blandis adjuvantibus, libere excitat sudorem. Priusquam vero hanc medicinam sumere ægro liceat, eum stragulis laneis bene obtectum tenere in lecto oportet; et, nisi obstet frigus, mane exhibere, quippe quia eodem in tempore inter vigilandum liberius prodeant exeretiones et plus proficiunt alia adjuvantia. Ne plus justo sit dosis caveamus, hac quidem excitari possunt et nausea et vomitus: et dosis solita quantitate, cum duarum intervallo horarum, ut per totum corpus erumpat sudor, iterari debet. Quamdiu sudationis stadium extenderetur, inter medicos vix convenit. Ex levamine signorum, et ægri viribus potissimum pendebit. In aliis, horas viginti quatuor; in aliis octo quadraginta; maximo duravit cum fructu. Sed cavendum est imprimis, ne corpus infirmet*. SUTTONIUS inquit sudores diutius productos plus periculi quam boni adferre, et vix extendi ultra horas duodecim debere, nisi manifeste prosint: sed sisti, vestes laneas exuendo, et medicamenta deponendo.

* Vide Med. et Phys. Journ. vol. xxx.

Pro his quæ sudationem excitant, extrinsecus adhibuit camphoratam misturam, qua sibi persuasum est, morbum paucis in diebus abiturum. In tale consilium inierunt Russici medici, qui partibus dolentibus, pro sudorificis, nivem aut glaciem admovent, et cum fructu.

Inter alia, quæ maximis laudibus tolluntur in morbo finem imponendo, jure annumeranda sunt, guaiacum, camphora, aqua acetatis ammoniæ, et nitras potassæ. Hæc quidem ad exitum felicem multis in casibus conducunt, et prodesse videntur, vel exhalationem per cutem promovendo, vel sudorem ciendo. Sed de horum *duobus*, hæc verba habet GREGORIUS clarus: “ Nitras potassæ vero
“ a multis medicis, et aqua acetatis ammoniæ,
“ &c. ab omnibus quotidie præscribuntur, et
“ profecto nonnihil prodesse videntur, et in re-
“ frigerando corpore, et aliquando in promovendo
“ sudore. Sed de his etiam, et similibus, utcun-
“ que sub nomine diaphoreticorum refrigeran-
“ tium decantentur, parum fidendum est, nisi
“ multo largius sumantur quam vulgo solent.”

Quod ad exulcerantia attinet, in hoc morbi statu, anceps apparet usus, nisi fortasse, qui uni parti hærent, doloribus meloës vesicatorii emplastrum nunquam non opem intulerit.

Opium plurimi laudant in morbo tollendo, ab aliis nocere putatur. Hanc litem componere non nostrum est, sed quo, post evacuationes jam dictas, ad dolores sedandos, nihil est aptius.

De submuriate hydrargyri cum opio misto in morbo debellando, omnes medici haud consentiunt. Sed eruditus Doctor ROBERTUS HAMILTON, qui apud Lyn Regis medicinam exercuit, de felice hujus medicamenti effectu in lucem protulit dissertationem, cujus verbis haud dubito uti: “ After which, (nempe post sanguinis detracti-
“ tionem et alvum bene depletam) a composition
“ consisting of from five to one grain of calomel,
“ and from one to one-fourth of a grain of opi-
“ um, (with any conserve to be formed into a
“ bolus), in proportion to the strength and age of
“ the patient, was administered every six, eight,
“ or twelve hours, as the degree of the inflam-
“ mation, or the threatening aspect of the distem-
“ per seemed to require; and a plentiful dilu-
“ tion with barley-water, or any other weak te-
“ pid beverage, was, at the same time, strictly
“ enjoined. After taking three or four doses of
“ this medicine, in the course of twenty-four
“ hours, the patient was generally greatly reliev-

“ ed ; and in twenty-four hours more, the dis-
“ temper commonly gave way, and soon termi-
“ nated. But if the patient was not relieved in
“ the first twenty-four hours, and the inflamma-
“ tory symptoms continued with little abate-
“ ment, (which was rarely the case), more blood
“ was taken, and the mercurial composition was
“ directed to be more frequently given and con-
“ tinued, until the distemper resolved either by
“ sweating, purging, or more commonly both, or
“ by a ptyalism being raised *.”

Hæc ratio medendi, fide quidem maxima est digna, neque paucis periculis pro brevi tempore nitebatur, sed pluribus annis experientia talem docuit effectum bonum. Equidem nihil video, cur plenissimam haud subeat tentationem.

Porro FORDYCIUS cinchonam utpote remedium pro sanguinis missione adhibuisse jactat, sed perperam, nisi fallor ; hæc autem non, nisi inflammationis notæ, et febris abeant, unquam utenda, sine magna injuria.

Denique de modo vivendi paucis verbis, opus est, quippe qui ab antiphlogistico regimine strictius adhibito, præcipue penderet.

* Edin. Med. Comment. vol. ix.

Quemque ideo, diætam e carne confectam fugere per totum morbi cursum, summa cum cura oportet, neque aliquid edere, quod vim habeat stimulandi. Cibus ex rebus vegetabilibus constare debet, concoctu facilis, et ægrum potius refrigeraturus. Hinc fructus maturi, acidi, si-tem minuendo optime respondent, satisque nutriunt. Neque potus minorem attentionem vindicat sibi, quam cibus; ille quidem frigidus, veluti tenuis cerevisia morbum opitulatur depellere, et ex laticibus meracioribus semper nocet.

Hac in via curandi SYDENHAMUS fidem maximam habuit, qui, diæta sola sine aliis remediis, morbum sæpius perduxit in bonam finem. Cui quoque consentit GREGORIUS, qui narrat inter prælegendum in hoc modo sanitatem rediisse, ubi solitæ depletiones vix aut ne vix quidem profuerunt.

CURATIO ARTHRODYNIÆ.

IN hoc morbi genere, debilitas et rigiditas artuum, necnon dolores calore imminuti, præcipue urgent. Ad has molestias amovendas multa re-

media valent; et quæ stimulent vel sudorem eliciant, optima sunt. Inter hæc annumerantur guaiacum, terebinthinum, æther sulphuricus, et camphora. Ad hæc accedunt, quæ corpus roborant, ut decoctiones cinchonæ, et diæta bene nutriens. Porro si fixus manet dolor in una parte, vesicatoria multum habent laudis. Necnon corporis frictio nuper et olim magnis elata est laudibus: “ Frictio cum omnibus in homine vertebribus utilis sit, tum iis præcipue, quæ in collo sunt. Ergo die nocteque, interpositis tamen quibusdam temporibus, hoc remedio utendum est*.” Præterea movendo leniter rigidos articulos multum boni obtinetur; et balneum frigidum maxime prodest, et exercitatio modica, præcipue in aëre puro et sicco. De hac re pulcherrime scripsit noster GREGORIUS, in his verbis: “ Quod idoneam corporis exercitationem attinet, pro remedio roborante omni laude major est, cum ad tuendam sanitatem, si hæc natura bona est, tum ad reficiendas aut renovandas vires, si hæc, vel morbo, vel pravo vitæ genere, vel aliis fortasse minus manifestis causis, frac-

* Vid. CELSI, lib. iv. cap. 3.

“ tæ et exhaustæ fuerint, tum quoque ad sanati-
“ dos plurimos morbos qui a debilitate, vel ge-
“ nerali vel speciali, suam originem ducunt, vel
“ quorum saltem debilitas pars magna *.”

Denique vi electrica, sive Galvanismo, medici
haud parvi nominis usi sunt, et ad hunc morbum
curandum, plurimum valere asserunt.

* Vid. Conspect. Theor. Med.

FINIS.



